



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Monvmenta Paderbornensia

Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>

Paderbornae, 1669

4. Parvit Imperio Caroli.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11425

tionem commutati nominis affert. Hassi autem Widekindo sunt *Hassigani*, Aimonio *Assi*, Saxonum contermini, Adamo Bremensi *Hassones*. Nunc *Hessos* appellamus. Reinerus Reineccius. in notis ad Poëtam Anonym. lib. 1. pag. 9.

4. PARVIT IMPERIO CAROLI. Ita Regino lib. 2. Chron. ad An. 776. *Ex prædicto igitur loco (Eresburgo) cum tanta confusione discedentes (Saxones) venerunt ad aliud castrum, quod appellatur Desuburgh, ubi voluerunt similiter facere, sed Deo auxiliante, Francisque eis viriliter repugnantibus, nihil prævaluerunt. Oppidani vero persecuti sunt eos usque ad flumen, quod Lippa dicitur, & multos ex eis interfecerunt.* Hactenus ille. Desuburgh verò idem esse quod Desenberg ostendit Fabricius. lib. 2. orig. Saxoniarum. Saxones jugi Francici impatientes & fœderis immemores, ducum suorum levitate, ipso absente (Carolo M.) rursus tumultuantur, arcem Heresburgum obsident, & Francis astute deditiōnem conantur persuadere, proposita incolunitate & præmijs; suspectam habentes Franci Saxonum fidem, id facere detrectant, nec viribus de præsidio deijci possunt, &c. Tentantes deinceps (Saxones) castrum Desenburgum in monte altissimo situm, & Hassia finitimum, nihilo feliciter id oppugnant: Nam erumpentes Franci è præsidio, eos ad fluvium usque Luppam insequuntur; nec paucos intercipiunt & obtruncant. Et lib. 4. Idem cum tentarent ad arcem Disenburgiam, etiam cum dedecore & clade suorum rejecti, & fugati usque ad Lippam fluvium sunt.

5. FRANCUS ADEGIT. De Francorum origine erudite scripsit Isac. Pontanus sæpe nobis memoratus. De iisdem agit Philipp. Cluver. lib. 3. Germ. antiq. cap. 20. Et Reinerus Reineccius in comment. de origine Misenorū.

6. SAXONA. De Saxonibus vid. Cluver. Germ.

M

antiq.